DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. FEBRVARII.

M. CLAVDIO CHRISTIANO, Doctore Medico, Moderatore.

An Plethoræ Arcenda Venus?

928

HOMO ex quo in hos breuioris ac querulæ vitæ ſcopulos incidit; ſtatam ſibi viuendi periodum (quam vix quiſquam naturæ legibus conficit) vti abſoluat & expleat, ac tam multa quæ per ipſum tranſeunt mala declinet; penè aſſiduâ eget Medici peritioris operâ: ſæpius quidem vbi verſatur in morbi confinio, vel facto gradu præceps in ipſum ruit. At nec ſi probè temperatus & optimè ſanus fuerit; eius conſilio tutò carere poteſt: eòque magis ſi florens ætas, per quam viſcera parteſque omnes ſi perbellè ſe habeant, maximè autem iecur in temperamenti mediocritate conſiſtat; puri ſyncerioriſque ſanguinis prouentum facit, aut certè quandam æquabilitatem ſuccorum omnium, qui dum perenni generatione ſupra iuſtam & naturæ congruentem menſuram ſenſim cumulantur & creſcunt, heu! etiam bona noſtra redundantia mala ſunt, eâque inducitur corporis conſtitutio quæ tametſi bonis eſt conferta humoribus; hoc tamen vitium circumgerit, quod mille morborum parens ſit, ac plerumque incautis non vnica ratione perniciem creet: quippe aliàs molliora vaſa vt quæ ſunt circa hepar, thoracem, & pulmonem plurimo ſanguine turgida nimiumque diſtenta dehiſcunt, aut abrumpuntur: nonnunquam verò & repentè emergunt graues illi affectus quos efficit tunc temporis frequens venarum ἀπόληψις: at ſæpius earum perſpiratione impedita, ſuboriuntur febres putridæ, ardentes, & ſynochi, viſcerum inflammationes, ſyncopæ cardiacæ, ipſa denique mors.

TOTIVS cutis ſed præſertim faciei color præter conſuetudinem rubicundus, paulò difficilior crebriorque ſpiratio, magna, valida, ac penè vbiuis moleſta arteriarum pulſatio, venarum omnium æquabilis tumor & quendam doloris ſenſum inuehens tenſio, vt & amplior pleniorque corporis moles ex qua artus omnes ægrius moueantur, certiſſima ſunt Plethoræ indicia; quæ quò ſe produnt maniſeſtius, eò periculi plus ineſſe denunciant, & deplendorum vaſorum majorem afferunt neceſſitatem. Præceps illa quidem & prope ad ſummum perducta nullas præbet inducias: ſed præſentem Medici non αἱμοφόβε opem efflagitat: lucet hic feſtinata atque audax illius prudentia: in diem dilatio pleriſque mors eſt: nimirum ſanguis dum venis clauditur tantæ plenitudinis author; affatim excluſus ſanitatis ac vitæ vindex eſt vnicus. At vbi laudabiles iſti venarum ſucci ſenſim eâ ſuccreſcunt copiâ, quæ vix dum naturæ limites prætergreſſa, non ita premat; niſi (quod rarum ac vix vnquam tutum eſt) ſponte & ex ratione ſoluatur; artis eſt beneficio corrigenda. Cum hîc & vbique tenenda ſit curandi lex per contraria: quæcunque minuendis humoribus apta in vſum reuocabuntur; cedet illa quæ venas omnes occupat plenitudo. In eam rem conferre cenſentur frictiones, inedia, balnea, clyſteres, digerentia medicamenta, exercitatio.

INTER hæc præſidia vacuationi dicata non infimum tenet gradum quæ & exercitationibus debet annumerari blanda res Venus, quam malè damnat Epicurus, ceu nunquam ſalubrem: Democritus vt in qua homo exiliat ab homine. Natura ea conditione nobis iniecit illius ſenſum & appetitum, vt & eiuſdem ſalutarem faceret vſum, cui nonnulli citra noxam ad ſenium vſque ſuffecerunt: quanquam meritò ſuſpecta libido eſt, quæ venerem affectat ſine viribus. Qui firmo integroque ſunt corpore, & in ætatis vigore, vel ſaltem ab eo non procul abſunt; ſi modum (quem longè quam in cibo potuque tenere facilius eſt) adhibeant; nullo ſanitatis diſpendio illam exercent. Equidem ſenes, billioſi, impenſius frigidi, vt & in libidinem proiecti ex ea grauiſſimos ſæpe morbos incurrunt, quos experimento diſcere, miſera prudentia eſt: & nimia in venerem procacitas, ita prudentiam omnem expectorat; vt dũ igneum illũ corporis animique vigorem extinguit, amantes non rarò amentes efficiat. At certè cum moderatione & vti decet vſurpata ad tuendam proſperam valetudinem arcendamque plethoram vim atque efficaciam non mediocrem obtinet. Nempe in magna luxuriantium humorum copia corpus, non ſecus ac nimis fructuoſa arbos, ſemine ſpirituque multo onuſtum, decedente nonnulla vtriuſque portione recreatur & quaſi ſarcina leuatum robuſtius atque ad functiones aptius efficitur. Sic fœdos illos virginum colores ſiue ob ſuppreſſi, ſiue ob congeſti ſanguinis, ſeminiſve copiam, aut aliud vitium; indéque ortos lethales plerumque morbos, quos alioquin experiri coguntur, quæ nondum viros ſunt expertæ; nihil commodius abigit quàm prima venus, & mite illud remedium, virginitatis reſolutio omni ſtudio acceleranda. Nec abſimili ratione videas inſanientem interdum vitio corporis animam ex eiuſmodi vacuatione, quod ars nulla alia præſtiterit, quaſi miraculo priſtinæ ſapientiæ modeſtiæque reſtitui.

VT multa reſecandæ ſanguinis exuperantiæ poſſint imperari deſtinarique præſidia: nullum tamen æquè ſalutare & accommodatum eſt ac venus, quæ ſola vtramque paginam facit. Plethorica corpora ſiquando laborem ſubeant: & ſibi, & Medico nouum creant; magiſque ſi præter morem id præſtant: tanta quippe fit corporis atque humorum perturbatio; vt hi turgentes contineri non poſſint: ſed quoquouerſum impulſi foras exiliant: aut impetu in partem aliquampiam irruant: quin & labor viſcera concutiens tenues plerumque venas diſrumpit, vnde emictiones, vomitiones, & expuitiones cruentæ, pleuritides, aliique morbi. Inedia cuius impatientiſſimi qui ad venerem aptiſſimi, leues quidem morbos, & ex cruditate futuros commodè anteuertit; minimè verò plenitudinem & eos affectus qui ex boni ſanguinis vbertate ortus ſui primordia ſunt accepturi. Quos morbos abſtinentia & cibi parſimonia non ſuſtulit, mos eſt medicatione curare. At neque conducunt quæ hîc ſolent à nonnullis vſurpari. Diaphoretica quæ perſpiratu digerere, & ſine ſenſu diſſipare creduntur, aut nihil in expurgationis vias adducunt expelluntque foras: aut ſi obſtructiones ſtrenuè expediendo id præſtant, ſimul & ſanguinem ita venis diffundunt; vt calefactus liquatuſque propriis conceptaculis contineri non poſſit: ſed his excidens partibus phlegmonas infligat: vel ſi coercetur capitis dolores, pulſationes, & febres excitet. Enemata ſi mouent purgantque efficaciter; ferè in pleniori corpore ſunt ſuſpecta: blandiora & quæ einſmodi virtute deſtituuntur; aluum, non venas exonerant. Balneum vtile ſqualidis, extenuatis, humore melancholico oppreſſis, & ex febris ardore quaſi retorridis; iis inſenſiſſimum eſt qui impuro Plethoricoue ſunt corpore. Frictiones ſi quid mouent; ſanè nihil promouent: ſumma corporis calefaciunt, nec tamen exinaniunt: nec ſi quid vacuant: idcirco iuuant. His omnibus longè tutior eſſet ſanguinis miſſio diuiſa ſcalpello vena. Sed hanc longo adhuc interuallo poſt ſe relinquit venus.

FERRVM non omnes amant; ipſum quæ exhorruerit, bene coloratum virum non exhorreſcet; vt neque hic virginem lætâ & eleganti facie, quæ ruborem in niueo candore gerat, ceu rubra videntur lilia mixta roſis. Eſt hæc nimirum ſecuriſſima & iucundiſſima ſubducendæ abigendæque plethoræ ratio, quâ redundantes toto corpore humores blandè, ac nullâ violentâ impulſione nulláque aliena qualitate inducta circumciduntur. Homo quodammodo ſeipſo leuior efficitur: calor ille qui vnâ cum humoribus auctior factus penè extraneus euaſerat, minuitur; ſuperſtite quidem etiamnum & integro naturali. Corpus denique vniuerſum ſublato quaſi onere leuatur rariuſque redditur: vnde ſpiraculis ductibuſque omnibus patentioribus atque expeditioribus factis; aluus ſponte ſoluitur, vrina profunditur vberior, cerebri excrementa defluunt, & quæ à purgationis viâ longius abſunt, perſpiratione digeruntur. Adhæc promptior motus, libera faciliſque contingit reſpiratio, ſenſus alacriores euadunt, mentis & rationis vis prius implicita & impedita explicatur. Imprimis vero μισάνθρωποι & qui amarulentis ſunt moribus; depoſitâ veluti feritate, ſenſum induunt humanitatis. Ita moleſto atque importuno remediorum vſu neglecto, per veneris illecebras itur ad ſanitatem, quæque eſt humanæ vitæ condimentum voluptas; & eiuſdem tutrix eſt, & imminentium morborum propulſatrix.

Ergo Plethoræ Arcenda Venus.

Proponebat Lutetiæ PAVLVS COVRTOIS Meldenſis. A. R. S. H. M. DC. XLIIII.